Quelle: https://manuscripta.at/?ID=793
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Et expuentes in eum acceperunt harundinem: et
percuciebant caput eius. Et postquam illuserunt ei:
exuerunt clamidem et induerunt eum vestimentis
eius. et duxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes
autem inuenerunt hominem cyreneum nomine sy
monem. Hunc angariauerunt ut tolleret crucem
eius. Et uenerunt in locum qui dicitur golgatha
quod est caluarie locus. Et dederunt ei uinum bi
bere: cum felle mixtum. Et cum gustasset. no
luit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum,
diuiserunt uestimenta eius. sortem mittentes
Et sedentes seruabant eum. Et imposuerunt super
caput eius causam ipsius scriptam. hic est ihesus naza
renus rex iudeorum. Tunc crucifixi sunt cum eo
duo latrones: unus a dextris et unus a sinistris.
Pretereuntes autem blasphemabant eum mo
uentes capita sua et dicentes. Wach. qui des
truit templum dei et in triduo illud reedificat
Salua temetipsum. Si filius dei es. descende de cruce
Similiter et principes sacerdotum illudentes cum
scribis et senioribus dicebant. Alios saluos fecit
se ipsum non potest saluum facere. Si rex israel est. descen
dat nunc de cruce et credimus ei. Confidit in deo
liberet eum nunc si uult. Dixit enim. quia filius dei sum.